FRANCKESCHE
STIFTUNGEN

# Alte Drucke

# P. VIRGILII || MARONIS OPERA IN-||DVBITATA, || BVCOLICON, || GEORGICON, || ÆNEIS. || QVIBVS ACCESSERVNT ET || ALIA QVAEDAM LECTIONI || & studio ...

**Vergilius Maro, Publius**

**Lipsiae, 1590**

**VD16 ZV 30860**

Liber V.

**Nutzungsbedingungen**
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

**Terms of use**
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149950

Visual Library

# P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS LIBER V.

*INterea medium Aeneas classe tenebat*
*Certus iter, fluctusq́; atros Aquilone ſecabat,*
*Mœnia reſpiciens, quæ iam infelicis Eliſæ*
*Collucent flammis. quæ tantum accenderit ignem*
*Cauſa latet: duri magno ſed amore dolores*
*Polluto, notumq́; furens quid fœmina poſſit,*
*Triſte per augurium Teucrorum pectora ducunt.*
*Vt pelagus tenuêre rates, nec iam amplius vlla*
*Occurrit tellus, cœlum vndiq; , & vndiq; pontus:*
*Olli cœruleus ſupra caput aſtitit imber,*
*Noctē, hyemēq; ferens, & inhorruit vnda tenebris.*
*Ipſe gubernator puppi Palinurus ab alta:*
*Heu quia nam tanti cinxerunt æthera nymbi?*
*Quidúe pater Neptune paras? ſic deinde locutus*
*Colligere arma iubet, validisq; incumbere remis,*
*Obliquatq́; ſinus in ventum, ac talia fatur:*
*Magnanime Aenea, non, ſi mihi Iuppiter autor*
*Spondeat, hoc ſperem Italiam contingere cœlo.*
*Mutati tranſuerſa fremunt, & veſpere ab atro*
*Conſurgunt venti, atq; in nubem cogitur aër.*
*Nec nos obniti contra, nec tendere tantum*

Sufficimus. ſuperat quoniam fortuna, ſequamur:
Quoq́; vocat, vertamus iter. nec littora longè
Fida reor fraterna Erycis, portuſq́; Sicanos:
Si modò ritè memor ſeruata remetior aſtra.
Tum pius Aeneas: Equidem ſic poſcere ventos
Iamdudum, & fruſtrà cerno te tendere contrà.
Flecte viam velis. an ſit mihi gratior vlla,
Quoq́; magis feſſas optem dimittere naueis,
Quàm quæ Dardanium tellus mihi ſeruat Aceſten,
Et patris Anchiſæ gremio complectitur oſſa?
Hæc vbi dicta, petunt portus: & vela ſecundi
Intendunt Zephyri: fertur cita gurgite claſſis:
Et tandem læti notæ aduertuntur arenæ.
At procul excelſo miratus vertice montis
Aduentum, ſociaſq́; rates, occurrit Aceſtes,
Horridus in iaculis, & pelle Libyſtidis vrſæ:
Troia Criniſo conceptum flumine mater
Quem genuit. veterum non immemor ille parentũ,
Gratatur reduces, & gaza lætus Agreſti
Excipit, ac feſſos opibus ſolatur amicis.
Poſtera cùm primo ſtellas oriente fugârat
Clara dies: ſocios in cœtum littore ab omnĩ
Aduocat Aeneas: tumuliq́; ex aggere fatur.
Dardanidæ magni, genus alto à ſanguine diuûm,
Annuus exactis completur menſibus orbis,
Ex quo relliquias, diuiniq́; oſſa parentis
Condidimus terra, mœſtaſq́; ſacrauimus aras.
Iamq́; dies (ni fallor) adeſt, quem ſemper acerbum,
Semper honoratum (ſic dij voluiſtis) habebo.

Hunc ego, Getulis agerem ſi Syrtibus exul,
Argolicóue mari deprenſus, & vrbe Mycenis:
Annua vota tamen, ſolenneiſq; ordine pompas
Exequerer, ſtruerémq; ſuis altaria donis.
Nunc vltrò ad cineres, ipſius & oſſa parentū,
(Haud equidē ſine mente, reor, ſine numine diuū)
Aſſumus, & portus delati intramus amicos.
Ergo agite, & cuncti lætum celebremus honorem:
Poſcamus ventos, atq; hæc me ſacra quotannis
Vrbe velit poſita templū ſibi ferre dicatū.
Bina boum vobis Troia generatus Aceſtes
Dat numero capita in naueis: adhibete penates
Et patrios epulis, & quos colit hoſpes Aceſtes.
Præterea, ſi nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radijſq; retexerit orbem:
Prima citæ Teucris ponam certamina claßis:
Quiq; pedum curſu valet, & qui viribus audax:
Aut iaculo incedit melior, leuibuſq; ſagittis:
Seu crudo fidit pugnam committere cæſtu:
Cuncti aßint, meritæq; expectent præmia palmæ.
Ore fauete omnes, & cingite tempora ramis.
Sic fatus, velat materna tempora myrto:
Hoc Helymus facit, hoc æui maturus Aceſtes,
Hoc puer Aſcanius: ſequitur quos cætera pubes.
Ille è concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterua.
Hîc duo ritè mero libans carcheſia Baccho,
Fundit humi: duo lacte nouo, duo ſanguine ſacro:
Purpureoſq; iacit flores, ac talia fatur:

Salue

Salue ſancte parens iterum, ſaluete recepti
Nequicquam cineres, animæq́;, vmbræq́; paternæ.
Non licuit fines Italos, fataliaq́; arua,
Nec tecum Auſoniũ (quicunq; eſt) quærere Tibrim.
Dixerat hæc: adytis cùm lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit,
Amplexus placidè tumulum, lapſuſq́; per aras:
Cæruleæ cui terga notæ, maculoſus & auro
Squamam incendebat fulgor: ceu nubibus arcus
Mille trahit varios aduerſo ſole colores.
Obſtupuit viſu Aeneas: ille agmine longo
Tandem inter pateras & leuia pocula ſerpens,
Libauitq́; dapes, rurſusq́; innoxius imo
Succeſſit tumulo, & depaſta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori inſtaurat honores,
Incertus geniúmne loci, famulúmue parentis
Eſſe putet. cædit quinas de more bidentes,
Totq́; ſues, totidem nigrantes terga iuuencos,
Vinaq́; fundebat pateris, animamq́; vocabat
Anchiſæ magni, maneſq́; Acheronte remiſſos.
Nec non & ſocij, quæ cuiq; eſt copia, læti
Dona ferunt: onerantq́; aras, mactantq́; iuuencos.
Ordine ahena locant alij, fuſiq́; per herbam
Subijciunt verubus prunas, & viſcera torrent.
Expectata dies aderat, nonamq́; ſerena
Auroram Phaëthontis equi iam luce vehebant:
Famaq́; finitimos, & clari nomen Aceſtæ
Exciuerat: læto complêrant littora cœtu,
Viſuri Aeneadas: pars & certare parati.

Munera principiò ante oculos, circoq́; locantur
In medio: ſacri tripodes, virideſq́; coronæ,
Et palmæ, precium victoribus, armaq́; & oſtro
Perfuſæ veſtes, argenti auriq́; talenta:
Et tuba commiſſos medio canît aggere ludos.
Prima pares ineunt grauibus certamina remis,
Quattuor ex omni delectæ claſſe carinæ.
Velocem Mneſtheus agit acri remige Priſtin,
Mox Italus Mneſtheus, genus à quo nomine Mem
Ingentemq́; Gyas ingenti mole Chimæram,
Vrbis opus: triplici pubes quam Dardana verſu
Impellunt, terno conſurgunt ordine remi:
Sergeſtuſq́;, domus tenet à quo Sergia nomen,
Centauro inuehitur magna: Scyllaq́; Cloanthus
Cærulea, genus vnde tibi Romane Cluenti.
Eſt procul in pelago ſaxum, ſpumantia contra
Littora, quod tumidis ſubmerſum tunditur olim
Fluctibus, hyberni condunt vbi ſidera Cori:
Tranquillo ſilet, immotaq́; attollitur vnda
Campus, & apricis ſtatio gratiſſima mergis.
Hîc viridem Aeneas frondenti ex ilice metam
Conſtituit, ſignum nautis, pater: vnde reuerti
Scirent, & longos vbi circumflectere curſus.
Tum loca ſorte legunt: ipſiq́; in puppibus auro
Ductores longè effulgent oſtroq́; decori,
Cætera populea velatur fronde iuuentus,
Nudatoſq́; humeros oleo perfuſa niteſcit.
Conſidunt tranſtris, intentaq́; brachia remis
Intenti expectant ſignum: exultantiaq́; haurit

Corda pauor pulſans, laudumq́; arrecta cupido.
Inde vbi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes
(Haud mora) proſiluêre ſuis: ferit æthera clamor
Nauticus: adductis ſpumant freta verſa lacertis.
Infindunt pariter ſulcos, totumq́; dehiſcit
Conuulſum remis, roſtriſq́; ſtridentibus æquor.
Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripuêre, ruuntq́; effuſi carcere currus:
Nec ſic immiſſis aurigæ vndantia lora
Concuſſere iugis, proniq́; in verbera pendent.
Tum plauſu fremituq́; virûm, ſtudijſq́; fauentum
Conſonat omne nemus: vocemq́; incluſa volutant
Littora, pulſati colles clamore reſultant.
Effugit ante alios, primuſq́; elabitur vndis
Turbã inter fremitumq́; Gyas: quem deinde Cloan-
Conſequitur, melior remis: ſed pondere pinus (thus
Tarda tenet. poſt hos æquo diſcrimine Priſtis,
Centauruſq́; locum tendunt ſuperare priorem.
Et nunc Priſtis abit: nunc victam præterit ingens
Centaurus: nunc vnà ambæ, iunctiſq́; feruntur
Frontibus, & longæ ſulcant vada ſalſa carinæ.
Iamq́; propinquabant ſcopulo, metamq́; tenebant:
Cum princeps, medioq́; Gyas in gurgite victor
Rectorem nauis compellat voce Menœten:
Quò tantum mihi dexter abis? huc dirige curſum:
Littus ama, & læuas ſtringat ſine palmula cautes:
Altum alij teneant. dixit: ſed cæca Menætes
Saxa timens, proram pelagi detorquet ad vndas.
Quò diuerſus abis? iterum, pete ſaxa Menœte,

Cum clamore Gyas reuocabat : &, ecce, Cloanthum
Reſpicit inſtantem tergo, & propiora tenentem.
Ille inter nauemq́; Gyæ ſcopuloſq́; ſonanteis
Radit iter læuum interior, ſubitusq́; priorem
Præterit, & metis tenet æquora tuta relictis.
Tum verò exarſit iuueni dolor oßibus ingens,
Nec lacrymis caruêre genæ : ſegnemq́; Menœten,
Oblitus decoriſq́; ſui, ſociûmq́; ſalutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.
Ipſe gubernaclo rector ſubit, ipſe magiſter:
Hortaturq́; viros, clauumq́; ad littora torquet.
At grauis, vt fundo vix tandem redditus imo eſt
Iam ſenior, madidaq́; fluens in veſte Menœtes,
Summa petit ſcopuli, ſiccaq́; in rupe reſedit.
Illum & labentem Teucri, & riſere natantem:
Et ſalſos rident reuomentem pectore fluctus.
Hîc læta extremis ſpes eſt accenſa duobus,
Sergeſto, Mneſtheoq́;, Gyan ſuperare morantem.
Sergeſtus capit antè locum, ſcopuloq́; propinquat:
Nec tota tamen ille prior præeunte carina,
Parte prior, partem roſtro premit æmula Priſtis.
At media ſocios incedens naue per ipſos
Hortatur Mneſtheus: Nunc nunc inſurgite remis,
Hectorei ſocij, Troiæ quos ſorte ſuprema
Delegi comites: nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Getulis Syrtibus vſi,
Ionioq́; mari, Maleæq́; ſequacibus vndis.
Non iam prima peto Mneſtheus, neq; vincere certo,
(Quanquã, ô) ſed ſuperẽt, quib. hoc Neptune dediſti.

Extre-

Extremos pudeat rediiſſe: hoc vincite ciues,
Et prohibete nefas. Olli certamine ſummo
Procumbunt: vaſtis tremit ictibus area puppis:
Subtrahiturq́; ſolum. tum creber anhelitus artus,
Aridaq́; ora quatit: ſudor fluit vndiq; riuis.
Attulit ipſe viris optatum caſus honorem.
Namq; furens animi, dum proram ad ſaxa ſuburget
Interior, ſpacioq́; ſubit Sergeſtus iniquo:
Infelix ſaxis in procurrentibus hæſit.
Concuſſæ cautes, & acuto in murice remi
Obnixi crepuêre, illiſaq́; prora pependit.
Conſurgunt nautæ, & magno clamore morantur:
Ferrataſq́; ſudes, & acuta cuſpide contos
Expediunt, fractoſq́; legunt in gurgite remos.
At lætus Mneſtheus, ſucceſſuq́; acrior ipſo,
Agmine remorum celeri, ventiſq́; vocatis
Prona petit maria, & pelago decurrit aperto.
Qualis ſpelunca ſubitò commota columba,
Cui domus & dulces latebroſo in pumice nidi,
Fertur in arua volans, plauſumq́; exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aëre lapſa quieto,
Radit iter liquidum, celeres neq; commouet alas:
Sic Mneſtheus, ſic ipſa fuga ſecat vltima Priſtis
Aequora: ſic illam fert impetus ipſe volantem.
Et primùm in ſcopulo luctantem deſerit alto
Sergeſtum, breuibuſq́; vadis, fruſtraq́; vocantem
Auxilia, & fractis diſcentem currere remis.
Inde Gyan, ipſamq́; ingenti mole Chimæram
Conſequitur: cedit, quoniam ſpoliata magiſtro eſt.

Solus

Solus iamq́; ipſo ſupereſt in fine Cloanthus,
Quem petit, & ſummis annixus viribus vrget.
Tum verò ingeminat clamor cunctiq́; ſequentem
Inſtigant ſtudijs: reſonat clamoribus æther.
Hi, proprium decus & partũ indignãtur honore
Ni teneant, vitamq́; volunt pro laude paciſci:
Hos ſucceſſus alit: poſſunt, quia poſſe videntur.
Et ſors æquatis cepiſſent præmia roſtris,
Ni palmas ponto tendens vtraſq́; Cloanthus,
Fudiſſetq́; preces, diuoſq́; in vota vocaſſet:
Dij, quibus imperium pelagi, quorũ æquora curr
Vobis lætus ego hoc candentem in littore tauru
Conſtituam ante aras, voti reus: extaq́; ſalſos
Proijciam in fluctus, & vina liquentia fundam.
Dixit: eumq́; imis ſub fluctibus audijt omnis
Nereidum Phorciq́; chorus, Panopeiaq́; virgo:
Et pater ipſe manu magna Portunus euntem
Impulit. illa Noto citius, volucriq́; ſagitta
Ad terram fugit, & portu ſe condidit alto.
Tum ſatus Anchiſa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna præconis voce Cloanthum
Declarat: viridiq́; aduelat tempora lauro:
Muneraq́; in naueis, ternos optare iuuencos,
Vinaq́;, & argenti magnum dat ferre talentum.
Ipſis præcipuos ductoribus addit honores:
Victori chlamydem auratam, quam plurima circ
Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit:
Intextuſq́; puer frondoſa regius Ida
Veloces iaculo ceruos curſuq́; fatigat,

Acu-

Acer, anhelanti ſimilis: quem præpes ab Ida
Sublimem pedibus rapuit Iouis armiger vncis.
Longæui palmas nequicquam ad ſidera tendunt
Cuſtodes: ſæuitq; canum latratus in auras.
At, qui deinde locum tenuit virtute ſecundum,
Leuibus huic hamis conſertam, auroq; trilicem
Loricam (quam Demoleo detraxerat ipſe
Victor, apud rapidum Simoënta, ſub Ilio alto)
Donat habere viro, decus & tutamen in armis.
Vix illam famuli Phegeus Sagariſq; ferebant,
Multiplicem, connixi humeris: indutus at olim
Demoleus, curſu palantes Troas agebat.
Tertia dona facit, geminos ex ære lebetas,
Cymbiaq; argento perfecta, atq; aſpera ſignis.
Iamq; adeo donati omnes, opibuſq; ſuperbi,
Puniceis ibant euincti tempora tænijs:
Cùm ſæuo è ſcopulo multa vix arte reuulſus,
Amiſſis remis, atq; ordine debilis vno,
Irriſam ſine honore ratem Sergeſtus agebat.
Qualis ſæpe viæ deprenſus in aggere ſerpens,
Aerea quem obliquum rota tranſit, aut grauis ictu
Seminecem liquit ſaxo lacerumq; viator:
Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus:
Parte ferox, ardenſq; oculis, & ſibila colla
Arduus attollens: pars vulnere clauda retentat
Nexantem nodis, ſeq; in ſua membra plicantem.
Tali remigio nauis ſe tarda mouebat:
Vela facit tamen, & plenis ſubit oſtia velis.
Sergeſtum Aeneas promiſſo munere donat,

Seruatam

Seruatam ob nauem lætus, ſociosq́; reductos.
Olli ſerua datur, operum haud ignara Mineruæ,
Creſſa genus, Pholoë, geminiq́; ſub vbere nati.
Hoc pius Aeneas miſſo certamine, tendit
Gramineũ in campum, quem collibus vndiq; curui
Cingebant ſyluæ: mediaq́; in valle, theatri
Circus erat, quò ſe multis cum millibus heros
Conſeſſu medium tulit, extructoq́; reſedit.
Hîc, qui fortè velint rapido contendere curſu,
Inuitat precijs animos, & præmia ponit.
Vndiq; conueniunt Teucri, miſtiq́; Sicani:
Niſus & Euryalus, primi.
Euryalus, forma inſignis, viridiq́; iuuenta:
Niſus, amore pio pueri. quos deinde ſecutus
Regius egregia Priami de ſtirpe Diores.
Hũc Salius ſimul,et Patron: quorũ alter Acarnan,
Alter ab Arcadia, Tegeæ de ſanguine gentis.
Tum duo Trinacrij iuuenes, Helymus, Panopesq́;,
Aſſueti ſyluis, comites ſenioris Aceſtæ.
Multi præterea, quos fama obſcura recondit.
Aeneas quibus in medijs ſic deinde locutus:
Accipite hæc animis, lætasq́; aduertite mentes:
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
Gnoßia bina dabo leuato lucida ferro
Spicula, cælatamq́; argento ferre bipennem.
Omnibus hic erit vnus honos: tres præmia primi
Accipient, flauaq́; caput nectentur oliua.
Primus equum phaleris inſignem victor habeto:
Alter Amazoniam pharetram, plenamq́; ſagittis

Threicijs

Threicijs : lato quam circum amplectitur auro
Baltheus, & tereti ſubnectit fibula gemma.
Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Hæc vbi dicta, locum capiunt : ſignoq́; repentè
Corripiunt ſpacia audito, limenq́; relinquunt
Effuſi, nymbo ſimiles : ſimul vltima ſignant.
Primus abit, longeq́; ante omnia corpora Niſus
Emicat, & ventis, & fulminis ocyor alis.
Proximus huic, longo ſed proximus interuallo,
Inſequitur Salius : ſpacio pòſt deinde relicto
Tertius Euryalus.
Euryalumq́; Helymus ſequitur: quo deinde ſub ipſo
Ecce volat, calcemq́; terit iam calce Diores,
Incumbens humero : ſpacia & ſi plura ſuperſint,
Tranſeat elapſus prior, ambiguumq́; relinquat.
Iamq́; ferè ſpacio extremo, feſſiq́; ſub ipſum
Finem aduentabant : leui cùm ſanguine Niſus
Labitur infelix : cæſis vt fortè iuuencis
Fuſus, humum virideſq́; ſuper madefecerat herbas.
Hic iuuenis iam victor ouans, veſtigia preſſo
Haud tenuit titubata ſolo : ſed pronus in ipſo
Concidit immundoq́; fimo, ſacroq́; cruore.
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum.
Nam ſeſe oppoſuit Salio, per lubrica ſurgens.
Ille autem ſpiſſa iacuit reuolutus arena.
Emicat Euryalus, & munere victor amici,
Prima tenet, plauſuq́; volat fremituq́; ſecundo.
Pòſt Helymus ſubit, & nunc tertia palma Diores.
Hic totum caueæ conſeſſum ingentis, & ora

Prima patrum magnis Salius clamoribus implet,
Ereptumq́ dolo reddi ſibi poſcit honorem.
Tutatur fauor Euryalum, lacrymæq́ decoræ,
Gratior & pulcro veniens in corpore virtus.
Adiuuat, & magna proclamat voce Diores:
Qui ſubijt palmæ, fruſtraq́ ad præmia venit
Vltima, ſi primi Salio reddantur honores.
Tum pater Aeneas, veſtra, inquit, munera vobis
Certa manent, pueri: et palmã mouet ordine nemo.
Me liceat caſum miſerari inſontis amici.
Sic fatus, tergum Getuli immane leonis
Dat Salio, villis oneroſum atq; vnguibus aureis.
Hîc Niſus, ſi tanta, inquit, ſunt præmia victis,
Et te lapſorum miſeret: quæ munera Niſo
Digna dabis? primam merui qui laude coronam,
Ni me, quæ Salium, fortuna inimica tuliſſet.
Et ſimul his dictis faciem oſtendebat, & vdo
Turpia membra fimo. riſit pater optimus olli:
Et clypeum efferri iuſsit Didymaonis artes,
Neptuni ſacro Danais de poſte refixum.
Hoc iuuenem egregium præſtanti munere donat.
Pòſt, vbi confecti curſus, & dona peregit:
Nunc, ſi cui virtus, animuſq́ in pectore præſens,
Aſsit & euinctis attollat brachia palmis.
Sic ait: & geminum pugnæ proponit honorem:
Victori velatum auro vittiſq́ iuuencum:
Enſem, atq; inſignem galeam, ſolatia victo.
Nec mora: continuò vaſtis cum viribus effert
Ora Dares, magnoq́ virûm ſe murmure tollit:

Sol

Solus qui Paridem ſolitus contendere contra:
Idemq́; ad tumulū, quo maximus occubat Hector,
Victorem Buten immani corpore ( qui ſe
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat)
Perculit, & fulua moribundum extendit arena.
Talis prima Dares caput altum in prælia tollit:
Oſtenditq́; humeros latos, alternaq́; iactat
Brachia protendens, & verberat ictibus auras.
Quæritur huic alius: nec quiſquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibusq́; inducere cæſtus.
Ergo alacris, cunctoſq́; putans excedere pugna
Aeneæ ſtetit ante pedes: nec plura moratus,
Tum læua taurum cornu tenet, atq; ita fatur:
Nate dea, ſi nemo audet ſe credere pugnæ,
Quæ finis ſtandi? quo me decet vſq; teneri?
Ducere dona iube. cuncti ſimul ore fremebant
Dardanidæ, reddiq́; viro promiſſa iubebant.
Hic grauis Entellum dictis caſtigat Aceſtes,
Proximus vt viridante toro conſiderat herbæ:
Entelle, heroum quondam fortiſſime fruſtra,
Tantáne tam patiens nullo certamine tolli
Dona ſines? vbi nunc nobis deus ille, magiſter
Nequicquā memoratus Eryx? vbi fama per omnem
Trinacriam? & ſpolia illa tuis pendentia tectis?
Ille ſub hæc: Non laudis amor, nec gloria ceſſit
Pulſa metu: ſed enim gelidus tardante ſenecta
Sanguis hebet, frigentq́; effœtæ in corpore vires.
Si mihi, quæ quondam fuerat, quaq́; improbus iſte
Exultat fidens, ſi nunc foret illa iuuenta;

*Haud equidem precio inductus pulcroq́; iuuenci*
*Veniſſem: nec dona moror. ſic deinde locutus,*
*In medium geminos immani pondere cæſtus*
*Proiecit: quibus acer Eryx in prælia ſuetus*
*Ferre manum, duroq́; intendere brachia tergo.*
*Obſtupuêre animi: tantorum ingentia ſeptem*
*Terga boum plumbo inſuto, ferroq́; rigebant.*
*Ante omnes ſtupet ipſe Dares, longeq́; recuſat:*
*Magnanimusq́; Anchiſiades & pondus, & ipſa*
*Huc illuc vinclorum immenſa volumina verſat.*
*Tum ſenior tales referebat pectore voces:*
*Quid? ſi quis cæſtus ipſius & Herculis arma*
*Vidiſſet, triſtemq́; hoc ipſo in littore pugnam?*
*Hæc germanus Eryx quondam tuus arma gerebat.*
*Sanguine cernis adhuc ſparſoq́; infecta cerebro.*
*His magnum Alciden contra ſtetit: his ego ſuetus,*
*Dum melior vires ſanguis dabat, æmula necdum*
*Temporibus geminis canebat ſparſa ſenectus.*
*Sed, ſi noſtra Dares hæc Troius arma recuſat,*
*Idq́; pio ſedet Aeneæ, probat autor Aceſtes:*
*Aequemus pugnas: Erycis tibi terga remitto:*
*Solue metus, & tu Troianos exue cæſtus.*
*Hæc fatus, duplicem ex humeris reiecit amictum,*
*Et magnos membrorũ artus, magna oſſa, lacertos*
*Exuit, atq; ingens media conſiſtit arena.*
*Tum ſatus Anchiſa cæſtus pater extulit æquos,*
*Et paribus palmas amborum innexuit armis.*
*Conſtitit in digitos extemplò arrectus vterq;,*
*Brachiaq́; ad ſuperas interritus extulit auras.*

*Abdux*

Abduxêre retrò longè capita ardua ab ictu:
Immiſcentq́; manus manibus,pugnamq́; laceſſunt.
Ille,pedum melior motu, fretuſq́; iuuenta:
Hic, membris & mole valens: ſed tarda trementi
Genua labant: vaſtos quatit æger anhelitus artus.
Multa viri nequicquam inter ſe vulnera iactant:
Multa cauo lateri ingeminant,& pectore vaſtos
Dant ſonitus: erratq́; aures, & tempora circum
Crebra manus:duro crepitant ſub vulnere malæ.
Stat grauis Entellus,niſuq́; immotus eodem,
Corpore tela modò,atq; oculis vigilantibus exit.
Ille,velut celſam oppugnat qui molibus vrbem,
Aut montana ſedet circum caſtella ſub armis:
Nunc hos,nunc illos aditus, omnemq́; pererrat
Arte locum,& varijs aſſultibus irritus vrget.
Oſtendit dextram inſurgens Entellus,& altè
Extulit: ille ictum venientem à vertice velox
Præuidit, celeriq́; elapſus corpore ceſſit.
Entellus vires in ventum effudit,& vltrò
Ipſe grauis, grauiterq́; ad terram pondere vaſto
Concidit:vt quondã caua concidit,aut Erymantho,
Aut Ida in magna,radicibus eruta pinus.
Conſurgunt ſtudijs Teucri, & Trinacria pubes:
It clamor cœlo: primuſq́; accurrit Aceſtes,
Aequæuumq́; ab humo miſerans attollit amicum.
At non tardatus caſu,neq; territus heros,
Acrior ad pugnam redit, & vim ſuſcitat ira.
Tum pudor incendit vires, & conſcia virtus:
Præcipitemq́; Daren ardens agit æquore toto,

Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille ſiniſtra
Nec mora, nec requies. quàm multa grandine
Culminibus crepitant: ſic denſis ictibus heros
Creber vtraq; manu pulſat verſatq́; Dareta.
Tum pater Aeneas, procedere longius iras,
Et ſæuire animis Entellum haud paſſus acerbis,
Sed finem impoſuit pugnæ: feſſumq́; Dareta
Eripuit, mulcens dictis, ac talia fatur:
Infelix, quæ tanta animum dementia cepit?
Non vires alias, conuerſaq́; numina ſentis?
Cede deo. dixitq́;, & prælia voce diremit.
Aſt illum fidi æquales, genua ægra trahentem,
Iactantemq́; vtroq; caput, craſſumq́; cruorem
Ore reiactantem, miſtoſq́; in ſanguine dentes,
Ducunt ad naues, galeamq́;, enſemq́; vocati
Accipiunt: palmam Entello, taurumq́; relinquunt.
Hîc victor ſuperans animis, tauroq́; ſuperbus,
Nate dea, voſq́; hæc, inquit, cognoſcite Teucri:
Et mihi quæ fuerint iuuenili in corpore vires,
Et qua ſeruetis reuocatum à morte Dareta.
Dixit, & aduerſi contra ſtetit ora iuuenci,
Qui donum aſtabat pugnæ: duroſq́; reducta
Librauit dextra media inter cornua cæſtus,
Arduus: effractoq́; illiſit in oſſa cerebro.
Sternitur, exanimisq́; tremens procumbit humi bos.
Ille ſuper tales effudit pectore voces:
Hanc tibi Eryx meliorē animam pro morte Dare
Perſoluo: hîc victor cæſtus, artemq́; repono.
Protinus Aeneas celeri certare ſagitta

Inuita

Inuitat, qui fortè velint, & præmia ponit:
Ingentiq; manu malum de naue Sereſti
Erigit, & volucrem traiecto in fune columbam,
Quò tendant ferrum, malo ſuſpendit ab alto.
Conuenêre viri: deiectamq; ærea ſortem
Accepit galea: & primus clamore ſecundo
Hyrtacidæ ante omneis exit locus Hippocoontis.
Quem modò nauali Mneſtheus certamine victor
Conſequitur, viridi Mneſtheus euinctus oliua.
Tertius Eurytion, tuus, ô clariſſime, frater,
Pandare: qui quondam iuſſus confundere fœdus,
In medios telum torſiſti primus Achiuos.
Extremus galeaq; ima ſubſedit Aceſtes,
Auſus & ipſe manu iuuenum tentare laborem.
Tum validis flexos incuruant viribus arcus
Pro ſe quiſq; viri, & depromunt tela pharetris.
Primaq; per cœlum neruo ſtridente ſagitta
Hyrtacidæ iuuenis volucres deuerberat auras:
Et venit, aduerſiq; infigitur arbore mali.
Intremuit malus: timuitq; exterrita pennis
Ales, & ingenti ſonuerunt omnia plauſu.
Pòſt acer Mneſtheus adducto conſtitit arcu,
Alta petens, pariterq; oculos telumq; tetendit.
Aſt ipſam miſerandus auem contingere ferro
Non valuit: nodos & vincula linea rupit,
Queis innexa pedem malo pendebat ab alto.
Illa Notos atq; atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus iamdudum arcu contenta parato
Tela tenens, fratrem Eurytion in vota vocauit:

Iam vacuo lætam cœlo ſpeculatus, & alis
Plaudentem nigra figit ſub nube columbam.
Decidit exanimis, vitamq́; reliquit in aſtris
Aëriis: fixamq́; refert delapſa ſagittam.
Amiſſa ſolus palma ſuperabat Aceſtes:
Qui tamen æthereas telum contorſit in auras,
Oſtentans artem pariter, arcumq́; ſonantem.
Hîc oculis ſubitò obiicitur magnoq́; futurum
Augurio monſtrum. docuit pòſt exitus ingens:
Seraq́; terrifici cecinerunt omina vates.
Namq́; volans liquidis in nubibus arſit arundo,
Signauitq́; viam flammis, tenueiſq́; receſſit
Conſumpta in ventos: cœlo ceu ſæpe refixa
Tranſcurrunt, crinemq́; volantia ſidera ducunt.
Attonitis hæſere animis: ſuperoſq́; precati
Trinacrii, Teucriq́; viri: nec maximus omen
Abnuit Aeneas: ſed lætum amplexus Aceſten
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur:
Sume pater (nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auſpiciis exortem ducere honorem)
Ipſius Anchiſæ longæui hoc munus habebis:
Cratera impreſſum ſignis, quem Thracius olim
Anchiſæ genitori, in magno munere, Ciſſeus
Ferre ſui dederat monumentum & pignus amoris.
Sic fatus, cingit viridanti tempora lauro:
Et primùm ante omnes victorem appellat Aceſten.
Nec bonus Eurytion prælato inuidit honori:
Quamuis ſolus auem cœlo deiecit ab alto.
Proximus ingreditur donis, qui vincula rupit;

Ext

Extremus, volucri qui fixit arundine malum.
At pater Aeneas, nondum certamine miſſo,
Cuſtodem ad ſeſe, comitemq́; impubis Iuli
Epytidem vocat, & fidam ſic fatur ad aurem:
Vade age, & Aſcanio, ſi iam puerile paratum
Agmen habet ſecum, curſuſq́; inſtruxit equorum:
Ducat auo turmas, & ſeſe oſtendat in armis.
Dic, ait, ipſe omnem longo decedere circo
Infuſum populum, & campos iubet eſſe patenteis.
Incedunt pueri, pariterq́; ante ora parentum
Frenatis lucent in equis, quos omnis eunteis
Trinacriæ mirata fremit, Troiæq́; iuuentus.
Omnibus in morem tonſa coma preſſa corona.
Cornea bina ferunt præfixa haſtilia ferro,
Pars leues humero pharetras: it pectore ſummo
Flexilis obtorti per collum circulus auri.
Tres equitum numero turmæ, terniq́; vagantur
Ductores: pueri bis ſeni quenq́; ſecuti,
Agmine partito fulgent, paribuſq́; magiſtris.
Vna acies iuuenum, ducit quam paruus ouantem
(Nomen aui referens) Priamus, tua clara Polite
Progenies, auctura Italos: quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis: veſtigia primi
Alba pedis, frontemq́; oſtentans arduus albam.
Alter, Atys: genus vnde Atyi duxêre Latini.
Paruus Atys, pueroq́; puer dilectus Iulo.
Extremus, formaq́; ante omnes pulcer Iulus
Sidonio eſt inuectus equo: quem candida Dido
Eſſe ſui dederat monimentum & pignus amoris.

*Cætera Trinacrijs pubes ſenioris Aceſtæ*
*Fertur equis.*
*Excipiunt plauſo pauidos, gaudentq́; tuentes*
*Dardanidæ, veterumq́; agnoſcunt ora parentum.*
*Poſtquam omnem læti conſeſſum oculoſq́; ſuorum*
*Luſtrauêre in equis: ſignum clamore paratis*
*Epytides longè dedit, inſonuitq́; flagello.*
*Olli diſcurrêre pares, atq; agmina terni*
*Diductis ſoluêre choris: rurſusq́; vocati*
*Conuertêre vias, infeſtaq́; tela tulêre.*
*Inde alios ineunt curſus, alioſq́; recurſus,*
*Aduerſis ſpacijs, alternoſq́; orbibus orbes*
*Impediunt, pugnæq́; cient ſimulacra ſub armis.*
*Et nunc terga fugæ nudant, nunc ſpicula vertunt*
*Infenſi: facta pariter nunc pace feruntur.*
*Vt quondam Creta fertur Labyrinthus in alta*
*Parietibus textus cæcis iter, ancipitemq́;*
*Mille vijs habuiſſe dolum: quâ ſigna ſequendi*
*Falleret indeprenſus & irremeabilis error:*
*Haud aliter Teucrûm nati veſtigia curſu*
*Impediunt, texuntq́; fugas & prælia ludo:*
*Delphinum ſimiles, qui per maria humida nando*
*Carpathium, Libycumq́; ſecant, luduntq́; per vndas.*
*Hunc morẽ, hos curſus, atq; hæc certamina primus*
*Aſcanius, longam muris cùm cingeret Albam,*
*Rettulit, & priſcos docuit celebrare Latinos:*
*Quo puer ipſe modo, ſecum quo Troia pubes,*
*Albani docuêre ſuos: hinc maxima porrò*
*Accepit Roma, & patrium ſeruauit honorem.*

Troiaq́; nunc, pueri, Troianum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus ſancto certamina patri.
Hic primùm fortuna fidem mutata nouauit.
Dum varijs tumulo referunt ſolennia ludis,
Irim de cœlo miſit Saturnia Iuno
Iliacam ad claſſem: ventoſq́; aſpirat eunti,
Multa mouens, nec dum antiquũ ſaturata dolorem.
Illa viam celerans per mille coloribus arcum,
Nulli viſa, cito decurrit tramite virgo.
Conſpicit ingentem concurſum, & littora luſtrat:
Deſertoſq́; videt portus, claſſemq́; relictam.
At procul in ſola ſecretæ Troades acta
Amiſſum Anchiſen flebant: cunctæq́; profundum
Pontum aſpectabant flentes: heu, tot vada feſſis,
Et tantum ſupereſſe maris. vox omnibus vna.
Vrbem orant, tædet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias ſeſe, haud ignara nocendi,
Conijcit, & faciemq́; deæ, veſtemq́; reponit.
Fit Beroë, Iſmarij coniunx longæua Dorycli,
Cui genus, & quondam nomen, natiq́; fuiſſent:
Ac ſic Dardanidûm mediam ſe matribus infert:
O miſeræ, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad lethum, patriæ ſub mœnibus: ô gens
Infelix, cui te exitio fortuna reſeruat?
Septima poſt Troiæ excidium iam vertitur æſtas,
Cùm freta, cùm terras omnes, tot inhoſpita ſaxa,
Sideraq́; emenſæ ferimur: dum per mare magnum
Italiam ſequimur fugientem, & voluimur vndis.
Hic Erycis fines fraterni, atq́; hoſpes Aceſtes.

Quid prohibet muros iacere, & dare ciuibus vrb
O patria, & rapti nequicquam ex hoſte penates,
Nulláne iam Troiæ, dicentur mœnia? nuſquam
Hectoreos amnes, Xanthum & Simoënta, videbo
Quin agite, & mecum infauſtas exurite puppes.
Nam mihi Caſſandræ per ſomnum vatis imago
Ardentes dare viſa faces, hîc quærite Troiam,
Hîc domus eſt, inquit, vobis. nunc tempus agi res:
Nec tantis mora prodigijs. en quattuor aræ
Neptuno: Deus ipſe faces animumq; miniſtrat.
Hæc memorans, primà infenſum vi corripit ignem,
Sublataq; procul dextra connixa coruſcat,
Et iacit. arrectæ mentes, ſtupefactaq; corda
Iliadum. hîc vna è multis, quæ maxima natu,
Pyrgo, tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroë vobis, non hæc Rhœteia, matres,
Eſt Dorycli coniux. diuini ſigna decoris,
Ardenteſq; notate oculos: qui ſpiritus illi,
Qui vultus, vociſq; ſonus, vel greſſus eunti.
Ipſa egomet dudum Beroën digreſſa reliqui
Aegram, indignantem tali quòd ſola careret
Munere, nec meritos Anchiſæ inferret honores.
Hæc effata.
At matres primò ancipites, oculiſq; malignis
Ambiguæ, ſpectare rates, miſerum inter amorem
Præſentis terræ, fatiſq; vocantia regna:
Cùm dea ſe paribus per cœlum ſuſtulit alis,
Ingentemq; fuga ſecuit ſub nubibus arcum.
Tum verò attonitæ monſtris, actæq; furore

Conclamant, rapiuntq́; focis penetralibus ignem:
Pars ſpoliant aras, frondem ac virgulta, faceſq́;
Conijciunt: furit immiſsis Vulcanus habenis
Tranſtra per, & remos, & pictas abiete puppes.
Nuncius Anchiſæ ad tumulum cuneoſq́; theatri
Incenſas perfert naues Eumelus: & ipſi
Reſpiciunt atram in nimbo volitare fauillam.
Primus & Aſcanius, curſus vt lætus equeſtres
Ducebat, ſic acer equo turbata petiuit
Caſtra: nec exanimes poſſunt retinere magiſtri.
Quis furor iſte nouus? quò nũc, quò tenditis, inquit,
Heu miſeræ ciues? non hoſtem, inimicaq́; caſtra
Argiuûm, veſtras ſpes vritis. en ego veſter
Aſcanius. galeam ante pedes proiecit inanem,
Qua ludo indutus belli ſimulacra ciebat.
Accelerat ſimul Aeneas, ſimul agmina Teucrûm.
Aſt illæ diuerſa metu per littora paſsim
Diffugiunt, ſyluaſq́;, & ſicubi concaua furtim
Saxa petunt. piget incepti, luciſq́;: ſuoſq́;
Mutatæ agnoſcunt: excuſſaq́; pectore Iuno eſt.
Sed non iccirco flammæ, atq; incendia vires
Indomitas poſuère: vdo ſub robore viuit
Stuppa vomens tardum fumum: lentuſq́; carinas
Eſt vapor, & toto deſcendit corpore peſtis.
Nec vires heroum, infuſaq́; flumina proſunt.
Tum pius Aeneas humeris abſcindere veſtem,
Auxilioq́; vocare deos, & tendere palmas:
Iuppiter omnipotens, ſi nondum exoſus ad vnum
Troianos, ſi quid pietas antiqua labores

Reſpicit humanos: da flammam euadere claſſi
Nunc pater, & tenues Teucrûm res eripe letho.
Vel tu, quod ſupereſt, infeſto fulmine morti,
(Si mereor) demitte: tuaq́; hîc obrue dextra.
Vix hæc ediderat, cùm, effuſis imbribus, atra
Tempeſtas ſine more furit: tonitruq́; tremiſcunt
Ardua terrarum, & campi: ruit æthere toto
Turbidus imber aqua, denſiſq́; nigerrimus Auſtri
Implenturq́; ſuper puppes, ſemiuſta madeſcunt
Robora: reſtinctus donec vapor omnis, & omnes,
Quattuor amiſſis, ſeruatæ à peſte carinæ.
At pater Aeneas caſu concuſſus acerbo,
Nunc huc ingentes, nunc illuc pectore curas
Mutabat: verſans, Siculiſne reſideret aruis,
Oblitus fatorum; Italáſne capeſſeret oras.
Tum ſenior Nautes, vnum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaq́; inſignem reddidit arte:
Hæc reſponſa dabat, vel quæ portenderet ira
Magna deûm, vel quæ fatorum poſceret ordo.
Iſq́; his Aeneam ſolatus vocibus infit:
Nate dea, quò fata trahunt retrahuntq́;, ſequamur
Quicquid erit, ſuperanda omnis fortuna ferẽdo eſt.
Eſt tibi Dardanius diuinæ ſtirpis Aceſtes:
Hunc cape conſilijs ſocium, & coniunge volentem:
Huic trade, amiſſis ſuperant qui nauibus, & quos
Pertæſum magni incepti, rerumq́; tuarum eſt:
Longæuoſq́; ſenes, ac feſſas æquore matres:
Et quicquid tecũ inualidum, metuenſq́; pericli eſt,
Delige: & his habeant terris, ſine, mœnia feſſi.

Vrb

Vrbem appellabunt permiſſo nomine Aceſtam.
Talibus incenſus dictis ſenioris amici:
Tum verò in curas animus diducitur omneis:
Et nox atra polum bigis ſubuecta tenebat:
Viſa dehinc cœlo facies delapſa parentis
Anchiſæ, ſubitò tales effundere voces:
Nate, mihi vita quondam (dum vita manebat)
Care magis, nate Iliacis exercite fatis:
Imperio Iouis huc venio, qui claſſibus ignem
Depulit, & cœlo tandem miſeratus ab alto eſt.
Conſilijs pare, quæ nunc pulcerrima Nautes
Dat ſenior: lectos iuuenes, fortiſſima corda,
Defer in Italiam. gens dura, atq; aſpera cultu,
Debellanda tibi Latio eſt. Ditis tamen antè
Infernas accede domos, & Auerna per alta
Congreſſus pete nate meos. non me impia namq;
Tartara habent, triſteſq; vmbræ: ſed amœna piorum
Concilia, Elyſiumq; colo. huc caſta Sibylla
Nigrarum multo pecudum te ſanguine ducet.
Tum genus omne tuũ, et, quæ dentur mœnia, diſces.
Iamq; vale: torquet medios nox humida curſus:
Et me ſæuus equis oriens afflauit anhelis.
Dixerat, & tenueis fugit, ceu fumus, in auras.
Aeneas, quò deinde ruis? quò proripis? inquit:
Quem fugis? aut quis te noſtris complexibus arcet?
Hæc memorans, cinerem & ſopitos ſuſcitat ignes:
Pergameumq; larem, & canæ penetralia Veſtæ
Farre pio, & plena ſupplex veneratur acerra.
Extemplò ſocios, primumq; accerſit Aceſten:

*Et Iouis imperium, & cari præcepta parentis*
*Edocet, & quæ nunc animo ſententia conſtet.*
*Haud mora conſilijs: nec iuſſa recuſat Aceſtes:*
*Tranſcribunt vrbi matres, populumq́; volentem*
*Deponunt: animos nil magnæ laudis egentes.*
*Ipſi tranſtra nouant, flammisq́; ambeſa reponunt*
*Robora nauigijs: aptant remosq́; rudentesq́;,*
*Exigui numero, ſed bello viuida virtus.*
*Interea Aeneas vrbem deſignat aratro:*
*Sortiturq́; domos: hoc, Ilium, & hæc loca, Troiam*
*Eſſe iubet. gaudet regno Troianus Aceſtes:*
*Indicitq́; forum, & patribus dat iura vocatis.*
*Tunc vicina aſtris Erycino in vertice ſedes*
*Fundatur Veneri Idaliæ: tumuloq́; ſacerdos,*
*Et lucus latè ſacer additur Anchiſeo.*
*Iamq́; dies epulata nouem gens omnis, & aris*
*Factus honos: placidi ſtrauerunt æquora venti:*
*Creber & aſpirans rurſus vocat Auſter in altum.*
*Exoritur procurua ingens per littora fletus:*
*Complexi inter ſe noctemq́; diemq́; morantur.*
*Ipſæ iam matres, ipſi, quibus aſpera quondam*
*Viſa maris facies, & non tolerabile numen,*
*Ire volunt, omnemq́; fugæ perferre laborem.*
*Quos bonus Aeneas dictis ſolatur amicis,*
*Et conſanguineo lacrymans commendat Aceſtæ.*
*Treis Eryci vitulos, & tempeſtatibus agnam*
*Cædere deinde iubet, ſoluiq́; ex ordine funes.*
*Ipſe caput tonſæ folijs euinctus oliuæ,*
*Stans procul in prora, pateram tenet, extaq́; ſalſos*

Porri-

Proiicit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Proſequitur ſurgens à puppi ventus euntes:
Certatim ſocij feriunt mare, & æquora verrunt.
At Venus interea Neptunum exercita curis
Alloquitur, taleſq́; effundit pectore queſtus:
Iunonis grauis ira & inexaturabile pectus
Cogunt me, Neptune, preces deſcendere in omneis:
Quam nec longa dies, pietas nec mitigat vlla:
Nec Iouis imperio, fatiſue infracta quieſcit.
Non media de gente Phrygum exediſſe nefandis
Vrbem odijs ſatis eſt: nec pœnam traxiſſe per omnẽ
Relliquias Troiæ: cineres, atq; oſſa peremtæ
Inſequitur. cauſſas tanti ſciat illa furoris.
Ipſe mihi nuper Libycis tu teſtis in vndis
Quam molem ſubitò excierit. maria omnia cœlo
Miſcuit, Aeolijs nequicquam freta procellis:
In regnis hoc auſa tuis.
Prô ſcelus: ecce etiam, Troianis matribus actis,
Exuſsit fœdè puppes, & claſſe ſubegit
Amiſſa ſocios ignotæ linquere terræ.
Quod ſupereſt, oro: liceat dare tuta per vndas
Vela tibi: liceat Laurentem attingere Tybrim:
Si conceſſa peto: ſi dant ea mœnia Parcæ.
Tum Saturnius hæc domitor maris edidit alti:
Fas omne eſt Cytherea meis te fidere regnis,
Vnde genus ducis: merui quoq;: ſæpe furores
Compreſsi, & rabiem tantam cœliq́; mariſq́;.
Nec minor in terris (Xanthum, Simoëntaq́; teſtor)
Aeneæ mihi cura tui. cùm Troia Achilles

Exani-

Exanimata ſequens impingeret agmina muris,
Millia multa daret letho: gemerentq; repleti
Amnes: nec reperire viam, atq; euoluere poſſet
In mare ſe Xanthus: Pelidæ tunc ego forti
Congreſſum Aeneam, nec dijs, nec viribus æquis,
Nube caua eripui: cuperem cùm vertere ab imo
Structa meis manibus periuræ mœnia Troiæ.
Nunc quoq; mens eadẽ perſtat mihi: pelle timores.
Tutus, quos optas, portus accedat Auerni:
Vnus erit tantùm, amiſſum quem gurgite quæret.
Vnum pro multis dabitur caput.
His vbi læta deæ permulſit pectora dictis,
Iungit equos curru genitor, ſpumantiaq; addit
Frena feris, manibusq; omneis effundit habenas.
Cæruleo per ſumma leuis volat æquora curru:
Subſidunt vndæ, tumidumq; ſub axe tonanti
Sternitur æquor aquis: fugiunt vaſto æthere nimbi.
Tum variæ comitum facies, immania Cete,
Et ſenior Glauci chorus, Inouſq; Palæmon,
Tritoneſq; citi, Phorciq; exercitus omnis.
Læua tenent Thetis & Melite, Panopeaq; virgo,
Neſæe, Spioq;, Thaliaq;, Cymodoceq;.
Hîc patris Aeneæ ſuſpenſam blanda viciſſim
Gaudia pertentant mentem: iubet ocyus omnes
Attolli malos, intendi brachia velis.
Vnà omnes fecêre pedem: pariterq; ſiniſtros,
Nunc dextros ſoluêre ſinus: vnà ardua torquent
Cornua, detorquentq;: ferunt ſua flamina claſſem.
Princeps antè omnes denſum Palinurus agebat

Agmen: ad hunc alij curſum contendere iuſsi.
Iamq́ ferè mediam cœlo nox humida metam
Contigerat: placida laxarant membra quiete
Sub remis fuſi per dura ſedilia nautæ:
Cùm leuis æthereis delapſus Somnus ab aſtris
Aëra dimouit tenebroſum, & diſpulit vmbras,
Te Palinure petens, tibi triſtia ſomnia portans
Inſonti: puppiq́ deus conſedit in alta,
Phorbanti ſimilis: funditq́ has ore loquelas:
Iaſide Palinure, ferunt ipſa æquora claſſem:
Aequatæ ſpirant auræ: datur hora quieti:
Pone caput, feſſoſq́ oculos furare labori.
Ipſe ego pauliſper pro te tua munera inibo.
Cui vix attollens Palinurus lumina fatur:
Méne ſalis placidi vultum, fluctuſq́ quietos
Ignorare iubes? méne huic confidere monſtro?
Aeneam credam quid enim fallacibus Auſtris,
Et cœli toties deceptus fraude ſereni?
Talia dicta dabat, clauumq́ affixus & hærens
Nuſquam amittebat, oculoſq́ ſub aſtra tenebat.
Ecce, Deus ramum Lethæo rore madentem,
Viq́ ſoporatum Stygia, ſuper vtraq́ quaſſat
Tempora, cunctantiq́ natantia lumina ſoluit.
Vix primos inopina quies laxauerat artus:
Et ſuperincumbens, cum puppis parte reuulſa,
Cumq́ gubernaclo liquidas proiecit in vndas
Præcipitem, ac ſocios nequicquam ſæpe vocantem.
Ipſe volans, tenues ſe ſuſtulit ales in auras.
Currit iter tutum non ſecius æquore claſsis,

Promiſsiſq; patris Neptuni interrita fertur.
Iamq; adeò ſcopulos Sirenum aduecta ſubibat,
Difficiles quondam, multorumq; oſsibus albos:
Tum rauca aſsiduo longè ſale ſaxa ſonabant:
Cùm pater amiſſo fluitantem errare magiſtro
Senſit: & ipſe ratem nocturnis rexit in vndis,
Multa gemens, caſuq; animum concuſſus amici.
O nimium cœlo, & pelago confiſe ſereno,
Nudus & ignota Palinure iacebis arena.


ANCHIS.
SIBIL
ÆNE
ÆNE
SIBIL.
CARON
SALM.
TANTALVS
TITIO